4

De literarum pręſtantia atq; neceſſitate.

ORATIO
IACOBI ALBANI
GIBBESII,

BRIT. M. D.

Publici Eloquentiæ Profeſſoris:

HABITA

Ad Scholarum Romanæ Academiæ renouationem:

IN TEMPLO D. EVSTACHII,

XV. Kal. Nouemb. cIↄ.Iↄc. LIIX.

AD S.D.N. ALEXANDRVM VII. P.O.M.



ROMAE,

Ex Typographia Iacobi Dragondelli, M.DC.LVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, Si videbitur Reuer. Patr. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capifuccus Sac. Pal. Apoſtolici Magiſt. Ord. Præd.

Digitized by Google

ALEXANDRO VII. PONTIFICI MAXIMO;

IACOBVS ALBANVS GIBBESIVS, M.D.
feliciter agere.

QVOD erat inſtituti ac muneris mei, iuuentutem adhortari ad ſtudium literarum (cuius intermiſſam de more conſuetudinem æſtiuos ob calores Academicus Rhetor inſtaurare quotannis dicendo ſolet) id equidem feci heri, Roma teſte, quantum in me fuit, conquiſitis rationibus abundanter; nunc, & proximè, quod debiti eſt officij, præſtare me volentem, vt tibi ſcilicèt opera mea, BEATISSIME PATER, à quo ſpirans ſperanſq; totus pendeo, veniat in cõſpectum, verba defecere cõmendatitia, reliquit ars oratorem. Nouum pudoris genus! quem affari coràm orbis terræ moderatorem, cœleſtis prętereà conſortem imperij, propter ipſius eximiam clementiam, non dubitanter & liberè queas, hunc ob præceptam animo tantæ maieſtatis imaginem vereri abſentem; ſic, vt

Digitized by Google

quid breuiſſimæ credas ad eum epiſtolę turbatis ſenſibus minimè recordere. Enimuerò qui verba facturi ad viros principes derepẽte neſcio quo pauore obmutuiſſent, legi vel accepi de quamplurimis, Theophraſto apud populum Athenienſem, ipſoq; Demoſthene apud Philippum Regem; & patrum noſtrorum memoria, de geminis oratoribus & conſilio, & vi eloquendi maximis, Franciſco Barbaro coram Duce Mediolani, & Bartholomęo Sothino in Senatu Veneto: qui verò ſcripturus, aut alio quouis modo ſenſa mentis abſens declaraturus hęſiſſet in ſalebris, nec pergere prę verecundia potuiſſet, adhuc hominem licuit, quod ſciam, in hiſtorijs reperire neminẽ. Tradar ego poſteritati primus in hoc genere; lætus vel ſic nomen aliquod meum ſupereſſe, dummodò vnà conſtet cultum ALEXANDRI fuiſſe cauſam.

Et herclè permirũ videri debet, quomodò qui, Vrbi circumſeptus propè tota, fuerim ad concionandũ proiectiſſimus atq; ſolutiſſimus, ſim idem in te appellando, loci tanto præſertim interuallo, communi Domino ac Parente, tam balbus & contractus. Veruntamen euelleretur facilè ſcrupulus iſte, opinor, reſpõſo poëtæ Colophonij aptato de Platone, Alexandrum mihi vnum inſtar eſſe omnium, niſi vnus ſupra omnes Alexander eſſet. Veluti Sol quamuis diſtans lucis afflatu ſplendidiſſimæ mortalium ſæpè animis ſacrum metum infert, ſic tu radiorum emiſſione gloriam comitantium illam tuã, intimum mihi pectus venerabũdo ſilentio longè percuſſiſti. Quid agam igitur? recurrere

rere ad artem certum eſt. Deſtituta verbis lingua ſatis dignis,cordi ſuas, quò factis compenſet officium aliquo modo, tribuet partes.

Ambage itaq; omni remota, ſtatim ac ſimpliciter offero ſupplex Orationem meam SANCTITATI TVÆ. Habebis hoc à me primum ſpecimen Rhetoricæ facultatis, qualis ea cunque tandem eſt,tuo dicatum præcipuè nomini,cùm tot anteà cantiunculas Lyræ noſtræ facili manu, ſerenaq; fronte ſemper admiſeris. Eò verò ſpectare debui, vt, cùm libros variorum Carminum vtriuſq; linguæ lectos à te pridèm & probatos edendi conſecrandiq; tibi dederis benigniſſimè veniam, alterum itèm ſolutæ volumen Eloquentiæ ſimiliter pertractatum ſub eodem priuilegio liceret cõiunctim emittere. Quicquid enim amœnioribus in hiſce literis, quæ meritò dicuntur humanitatis, poſſũ & valeo, SANCTISSIME PATER, quod ſcio tamen quàm ſit exiguum, barbarus habear, & infacetus,imò infra omnes ingratos reponendus, ni tibi ſtudiorum meorum lectiſſimos fructus, perindè atquè faciebant Apollini olim & Mineruæ, comptam & delibutam cæſariem voti rei, elegantiæ corporis indicem, ſic ego fautori argumentum iſtuc ingenij religioſè dedicem qualibet haud paulò externa forma præſtantioris; Tibi,inquam, qui apud me præſentis cuiuſdam vim numinis iure tenes, tot ac tantis aſſiduè beneficijs cumulatum, & obſtrictum.

Quocircà patere adiri te à cultore non grauatè cum ſuo munere quantumuis exiguo; non enim excuſabo

tenuitatem : id oro duntaxàt, vt memineris, ſuum Oceano vectigal non vaſtos & nobiles tantùm fluuios, ſed etiam riuulos, & exiles aquulas penſitare.

Vale, & viue, PONTIFICVM MAXIME, atquè OPTIME, etiã de noſtris annis, ſi neceſſe fuerit, auctus, quemadmodùm bonis Principibus acclamabat priſca vetuſtas: vt rebus egregijs, quas iſta altitudine animi dignas meditaris, imponas faſtigium, cùm Chriſtianæ rei bono, tùm noſtrorum temporum felicitati.

ORAT-

Digitized by Google

ORATIO.

ETSI liberales ego diſciplinas anno ſuperiore, arteſquè ſingulas, quæ pervulgatum illum ac nobilem doctrinæ orbem ingenuæ conſtituunt, ex hoc loco, hoc eodem in conſeſſu Patrum Conſcriptorum, magnâ etiam parte veſtrûm, niſi fallor, *Auditores ornatiſſimi*, ſuâ me vel cohoneſtante præſentiâ, vel nouæ rei alicuius intelligendæ ſtudio circundante, percenſui, breuiquè at proprio, vt mihi quæque mereri videbatur, præconio decoraui: quoniàm id tamen feci non conſultò, ſed agens aliud, atquè ab argumento, quod propoſueram, digreſſus, artificioſi videlicèt ſermonis in homine rationi eiusdem inſitæ præferendi; eam hodierno die inibo viam, quia diſceptationem huiuſmodi cognoui placere vobis, vt ab ouo, quod aiunt, ac deditâ operâ, non modò de ſcientiarum laude atquè præſtantiâ, ſed omninò de bono literarum ac neceſſitate dicam. Probè teneo officij mei munus; pernoſco penitùs Academiæ receſſus à Roſtris & foro

quantum diſtet; admonendus non ſum quid mihi, quid vobis, quid tempori, quid loco conueniat; nè multa, ſcio deniquè ſatis ſuperquè Rhetoris eſſe partes,eius præſertim, qui præcepta tradit eloquentiæ, pompam ſectari non pugnam, ludum aperire non campum, agitationem mentis non capitis actionem intendere. Faceſſat à Scholarum noſtrarum vmbracu'is arcanorum Reip. aut Principis conſiliorum ſiuè indagatio, ſiuè proditio; diſcordiæ regum nè attingantur quidem; fœderum religiones nec laudentur nec carpantur; perfidiæ, ſeditiones, conuerſiones ſtatuum, tyrannorum occupationes, proſcriptio locupletum, optimorum caſus hominum, profligatorum & nefariorum aſcenſus, Ole, quid ad te? militaria inſtituta, & id genus alia, quæ parùm nôris tanquàm Phormio coram Annibale, vel vt optimè percipias, ad declinandam tamen offenſionem omnem, ſic quaſi periculoſæ plenum opus aleæ, igneſquè ſuppoſiti cineri doloſo, tempero mihi primùm ipſe, tùm edico diſcipulis, nè tractentur. Quid ergò? in his doctrinæ ſedibus, in hoc Sapientiæ & bonæ mentis domicilio, in hac æde Pacis, atquè, vt ità dicam, olíueto tranquillitatis, conſentaneum eſt ad literatum otium cuncta referre abſque iniuriâ & tumultu, paſtum dare ingenijs cognitionis & contemplationis ſuauiſsimum, vitam deniquè atquè mores inſtituere ſalutaribus & monitis & præceptis. Quod quàm aptè theſis illa, poſita abs me modò, præſtet expleatquè in omnem partem, vos huius præclaræ iuuentutis, quæ frequens affluxit, cùm ſtudia tùm animos excitandi gratiâ me probantem, quæſo, pro humanitate veſtrâ paulıſper attendite. Videbitis profectò, atquè fatebimini iuxtà mecum, momenti quantum vix è reliquis vitæ rationibus & opificijs vniuerſis, ſi vnum in locum conferantur, haurire, imò verò nè ſperare quidem liceat, in vnis literis & liberalium artium diſciplinis poſitum, ex his ipſis ad ciuitatum, rerumquè publicarum incrementum ac ſtabilitatem redundare.

Digitized by Google

Ac mihi quidem accuratiùs de hac totâ re cogitanti, atquè argumenta vndiquè conquiſita perpendenti, illud primò firmiſsimum & conficientiſsimum videri ſolet, talem ferè Remp. apparere, quales, eam qui componunt, homines exiſtunt ipſi: cùm ex his planè ſingulis familiæ, ex familiis ciuitates, ex ciuitatibus res ſint publicæ conſtitutæ. Quæ res itaquè animos hominum efficere meliores, & eorum naturam adiuuare, indolemquè promouere poteſt, vt ad id, quod bonum rectumquè eſt, faciliùs traducantur, ea ſine dubio maximam ad fortunandum ciuitatis publicum ſtatum habere vim, ac momentum afferre ſola cenſetur. Enimuerò ponite vobis ante oculos, Auditores, barbarorum gentem, ſeù potiùs turbam aliquam, (barbaros autem intelligo, qui nec lege, nec ciuitate, nec alicuius diſciplinæ ordine diſponuntur ad virtutem; & qui, vt percommodè rei, quam volumus, definiuit Aquinas, vir diuinus, à rectâ ratione, & hominum communi abhorrent conſuetudine) fingite animis, inquam, imaginem talis mandræ; populos noui orbis, quos Indos promiſcuè dicimus, eſſe putatote, Ciunchos, Patagonas, Carybes, Ciriguanas, Iſcaycingas, pleroſque Braſilienſes, Floridanos vniuerſos: aſpicite hos paſſim in agris nudos beſtiarum more vagantes, & pari victu ſibi vitam propagantes, nec ratione animi quicquam, ſed viribus omnia corporis adminiſtrantes: videte quàm parùm aut nihil ſenſus communis obtineant, ſine lege, ſine rege, ſine fœdere, ſine certo magiſtratu & republicâ tumultuentur, ſedes identidèm commutent, aut ſi habent fixas, ità habeant, vt magis ferarum ſpecus, aut pecudum caulas imitentur. Accedat hùc pro inhumanitatis apice, eorundem ſitis ſanguinis & voluptas, in hoſpites ſæuitia pluſquàm belluina, poſtremò inter ſe, vt quiſque eſt à fraude, & à robore paratior, ſociorum carnis laniena, viſceratio, & nimia quædam inter epulandum geſtiens liguritio. Quid iſtâ vitâ horridius, moribus incultius, ordine deformius, magis infi-

dum communione, tetrius conuictu & fœdius cerni, vel excogitari poteſt? Nihil dico de legitimis nuptijs, quas nemo in vago concubitu vnquàm vidit, nihil de certis liberis, quos nemo inſpexit: prætermitto etiam illa maiora atque cœleſtia, veri Dei cognitionem, iuſtitiæ ac virtutis reuerentiam, immortalitatis animæ ſecuritatem, de finibus adeò bonorum & malorum opinionem minimè dubiam, quæ apud illos habetur nulla prorsùs: inuoluo ſilentio numinum ſputatilicorum, quæ vel in bulbo ſeuêre ipſi (O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina!) vel è ſaxo ſculpsêre, multitudinem infinitam, omnis flagitij & rapinæ impunitatem, vltra præſentem vitam nullam prætereà lucis optionem perennioris, morte demùm obitâ nec præmij ſpē extinctis, nec pœnæ formidinem ſupereſſe. Habuiſtis humanæ conditionis, ſiuè confuſionis, quò doctrinæ cultus non peruaſit, à me vtcunquè deſignatam imaginem & expreſſam.

Hic ſubit opportunè, meâ quidem ſententiâ, vniuerſæ rerum molis, antequàm in hunc ſpectabilem ordinem à ſummo architecto deducta fuit, quem ob politam concinnitudinem Græci *κόσμον*, Latini poſteà Græcorum æmuli, Mundum appellârunt, quàm turpi & permixtâ congerie in tenebris abſcondita, intra principia delituerit. Agedùm, conferamus nunc cum vaſto mundo iſto, ſi placet, microcoſmū. Conſtat enim hominem profectò, antiquâ re, nouo vocabulo, ſic à bonis authoribus ob ſimilitudinem nuncupatum, quaſi dixeris, paruum mundum. Informe vtriuſque primordium explicauimus. Magno mundo quidem Heſiodium chaos demus ſanè initium; quod quomodò debeat intelligi, Publ. Naſonem audite in Transmutationibus eleganter declarantem:

Ante mare, & terras, & (quod tegit omnia) cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos, rudis indigeſtaquè moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaquè eodem
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum.

itâ

ità ille, vt poëta, copioſè & prolixè; at Philo Iudæus, orator, credo, non infantiſſimus, duobus verbis totam reddit pulcherrimè ſententiam, chaos illud in Opificio, ἄτακτον ὑσίαν, inconditam materiam interpretatus: mundo verò contractiori non ὑσίαν, ex Philone, ſed φύσιν ἄτακτον, cum morum magiſtris, hoc eſt, naturam puram putam, & nondùm ad normam rationis & vrbanitatis exactam, affingamus, iàm rudimentum, & quaſi ſemen eiuſdem tenebimus. Hoc nullo amborum propoſito ſtatu (nàm agreſtis quiſpiam & barbarus, nè homo quidem dici poteſt, cùm humanitatem exercere, id ſit demùm hominem eſſe) ſed vt talis nihili conſtituatur ſpecies, Perge porrò, quæ vis, quæ facultas, quæ tàm potens, nè dicam magica virtus eduxit aut illum ex illâ ſqualidâ illuuie ac turbulentâ confuſione, in motum certum, aptum ordinem, viſendam pulchritudinem, & ex omnium amiciſſimâ conuenientiâ ſuauem ortam harmoniam, vt Pythagoras exiſtimauit: aut hunc poterit ab vrſi, ſiuè porci alicuius immani & fœdâ maſſâ ad figuram hominis, tanquàm Circes aut Mercurij ſcalpro fictum & edolatũ, Vlyſſis, id eſt, ſagaciſſimi cuiuſque, dignum aliquandò ſocium perficere? Benè ſe res habet: eò, quò intenderam, Socratico more vrgendo & interrogando, gradatim acceſſi. Quam vim verò putare decet ac poteſtatem totius vniuerſitatis effectricem aliam, niſi diuinam? quicquid aſpexeris, quò te cunquè animo & cogitatione conuerteris, Deus, eccè Deus! Dei ſunt numine plena omnia: quam deindè procuratricem humanitatis, ſiuè, quod eòdem recidit, vitæ ciuilis ducem ac magiſtram, præter ipſius hominis, diuini æmulam conſilij, rectiſſimis ſtudijs atquè artibus ornatam prudentiam?

Circumfertur vetus verbum, ex omnium ſeculorum memoriâ vſquè comprobatum, Deum vel lupum homini naſci hominem; nullo ſanè nequè tempore nequè exitu verius, quàm in fundandâ ciuitate adminiſtrandaquè repertum. Scitè admodùm ille; Sementem vti feceris, ita metes. Vos appel-

appello, egregiæ Animæ, vos atteſtor, ſapientiſſimi Legiſlatores, ſuæ quiſque regionis clariſſima lumina, in fidem huius roburquè veritatis, te ô Minos Cretenſium, te Philolãe Thebanorum, te Lacedæmoniorum Lycurge, te Draco, te Solon Athenienſium, multoquè te maximè, huius æternæ vrbis conditor & moderator, Romule; dicite, quid, quæſo, agendo, in montibus ac ſyluis diſſipatos homines, tantumquè duntaxàt, quantum venabulo & manu prædari, per vimquè tenere potuiſſent, habentes, quo modo delinitos compuliſtis in vnum locum, ſepſiſtis mœnibus, eoſquè tandem ex feris & atrocibus mites reddidiſtis & manſuetos? literaturâ. Quid ſuggerendo, ac docilium iam auribus perſonando & inculcando, ad rerum amorem cœleſtium, ad fortuitarum & fluxarum neglectum & deſpicentiam eorum animos erexiſtis? literaturam. Quid merendo, cuiuè referentes acceptum rei, eorundem vos famâ, beneficiorum memore, veluti pennato remigio ſublati, ad Superûm cœtum atquè concilium auolâſtis? literaturæ. Quid contrà, rogo vos, Auditores, Buſiridis, Typhonis, Euryſthei, Diomedis, Mezentij, Neronis, Licinij (non ſit finis ſi enumerare velim ſingulos) tyrannorum crudeliſſimorum, & fœdiſſimorum ſub humanâ ſpecie monſtrorum, execrandam apud poſteros fecit memoriam, corporaquè, ſimùl iudicio hominum ſimùl gaudio, poſt vitam ſupplicijs addixit ſempiternis? hæc ipſa ignorata, aut diſtorta, aut certè contempta literatura. O literarum præſtantiſſima poſſeſſio, lumen decuſquè animorum, in quibus penitùs inſederunt! ô neceſſaria doctrinæ inſtitutio! ô diſciplina honeſtarum artium omni vitæ parti ſalutaris! ſiquidèm literæ, literæ, inquam, ſolæ rationis ſunt perfectrices, morum magiſtræ, humanæ conciliatrices ſocietatis, legum inuentrices; ducunt ad virtutem, euellunt vitia, inſerunt religionem, præſtant felicitatem. Quid ſine ope veſtrâ, dulciſſimæ Sirenes, non ego modò, quantuluſcunque ſum, ſed omninò hi ſcientiarum anteſigna-

teſignani & coryphæi, qui circumſiſtunt, ſapientiſſimi viri, quid ſubditi, quid pacati reges, aut ſummi etiam belli imperatores, quotquot ſunt vbiquè, vel fuerunt, facere vnquam potuiſſent? Vos mihi (nè tribuatur hoc arrogantiæ, quod de meipſo dicam, ſed exuperantiæ grati animi, Auditores: eloquar enim, &, quantum potero, voce contendam, vt omnes intelligant) vos mihi extorri naufragoquè, bonitate cauſæ tamen, ac officij mei conſcientiâ freto ſemper ſupra fluctus, Romuleum aſylum à ſexdecim iam annis aperuiſtis, tabulam ſuppoſuiſtis, in portum deniquè tutum iſtum inuecto & tranquillum, alios ex alijs ampliſſimos patronos, donèc poſtremò ventum eſſet ad *ALEXANDRVM* Pont. Opt. Max. ac dominorum Dominum, continenter excitauiſtis; vos huic Doctorum florentiſſimæ coronæ omni doctrinâ & virtute perpolitorum in propriâ patriâ ſedem dignitatis & honoris eminentem cum exterarum admiratione gentium detuliſtis; vos regibus in ſubiectum populum facilitatem & magnificentiam, ciuibus aduerſus Principes debitum obſequium, atquè inter ſeſe mutuum amorem & auxilium oſtendiſtis; vos militiæ & claſſis præfectis rationem & conſilium, ac, ſicubi res vocauit, etiam calliditatem loco fortitudinis addidiſtis. Veſtro nititur præſidio quæuis ætas, ordo, gradus: vos puerorum eſtis indolis fomes ac nutrimentum, ſpes adoleſcentium, virilis ætatis ſtabilimen, viaticum ſenectutis.

Dies me, Auditores, vox, latera deficient ad exitum feſtinantem, ſi quæ dici in prærogatiuam poſſunt eruditionis, moliar ambitioſè cuncta proferre; nec, vt maximè velim, tolerat dicendi tempus tàm breue circumſcriptum: concludam igitur verbo, quod haud paulò plus, quàm ore enunciatur, cogitationi veſtræ relinquat: vt Timantem factitaſſe, pictorem nobilem, ferunt, qui Cyclopem depingens paruâ in tabulâ, cùm eius magnitudinem exprimere cuperet, iuxtà Satyros appoſuit, ſuis thyrſis pollicem illius dimetien-

tientes. Parumnè illud ad exaggerationem præſtantiæ atquè neceſſitatis literarum videtur, ſi cum grauiſſimis philoſophis ſemèl affirmem, eundem diſcendi & viuendi finem eſſe oportere? Et quidem ſpiranti quod eſt aër, cibus eſurienti, ſitienti potio, lux videnti, quæ quamdiù viuimus, tamdiù quęrimus & haurimus, hoc profectò eſt animæ rationis compoti tractatio diſciplinæ. Præclarè id nôrunt, ſuntquè luculenter teſtificati, dùm agerent in terris, heroës omni æuo memorabiles ob iſtam artium laudatarum quà cupiditatem immenſam, quà perceptionem abſolutam; tùm exteri, Chryſippus, Archimedes, Solon, Alexander, Cleanthes, tùm noſtri, Appius ille cæcus, Scipio, Lælius, Cato cenſor, Varro, Cæſar, complures alij, quos nequè domi, nequè in caſtris, aſſiduæ lectioni, & ſtudijs ſuis mirificâ voluptate intentos aut armorum horror circumſonantium deterruit, aut incendium vrbis direptioquè bonorum fugauit, aut paupertas interrupit, aut affluentia rerum auocauit, aut oculorum priuatio impediuit, aut inſolentia curſuſquè victoriæ repreſſit, aut vicinia mortis eneruauit.

Doleo equidem, Studioſi Adoleſcentes, (nàm vos mea deinceps alloquetur oratio, quorum causâ potiſſimùm eſt ſuſcepta) vehementerquè angor animo, quòd in hoſce temporis cancellos ego intruſus egredi nequeam arbitratu meo paulò liberiùs: fas fuiſſet; quæ nomina clarorum virorum conglobaui, quæ facta perſtrinxi confuſequè poſui, ea veſtram ſic in gratiam dilatâſſem, atquè ordine ad exemplum vniuſcuiuſque digeſſiſſem, vti facillimo negotio, quid cui illorum conueniret, quid aptum vobis eſſet maximè ad imitandum, non ſine tacito quodam iucunditatis ſenſu cognoſcere ac decerpere potuiſſetis. Habet hoc excellens virtus, ea in primis, quæ ex liberalium ſtudio doctrinarum efflorescit, vt non viſa tantùm igniculos æmulationis, verùm etiam ſcripta vel commemorata planè iam faces liuidulæ inuidentiæ in animis excitet auditorum. Ariſtotelem olim, cùm adole-

adoleſcens Platoni viuo daret operam, flere ſolitum tradunt, quotieſcunquè aliquid ex ſermone diuiniſſimi ſenis memoriâ dignum excepiſſet, ipſius verò mortui monumenta ingenij commendari ab alijs dolenter paſſum ſic vel inuidiſſe vel occurriſſe, vt ea ſummâ vndiquè curâ penes ſe corrogata partim ſubiecerit flammis, partim, quæ ſeruari malebat, deleto præceptoris nomine, adſcripſerit ſuo. O immoderatam libidinem oſtentationis ſcientiæ, quò nō impellis generoſa pectora, quæ titillare cœpiſti! Nequiter ille, fateor, & ingratè: niſi hoc quoquè à Platone magiſtro didiciſſet. Quid enim? is quid antè non fecerat Xenophonte? Sed iſta miſſa faciamus vitioſæ exempla æmulationis, quæ paulùm oppidò differt ab inuidiâ; alteram potius conſectari decet riualitati ſimilem, nunquàm in aucupio rerum præclararum non laudabilem, etiam plerumquè neceſſariam. Hæc profectò Alexandrum Macedonem ad Achillis, hæc C. Cæſarem ad Alexandri gloriam inflammauit conſpecto ſolùm alterius ab altero tumulo, vſquè eò, quoàd vterque orbis victor exemplari maior ſuo deueniret.

Et quoniam de Alexandro atquè Cæſare, imperatoribus longè poſt homines natos excelſiſſimis doctiſſimiſquè, mentio à nobis facta eſt, non abibitis longiùs, Rhetores: hærete hîc mecum *Noſtri Pontificis* memores & loci & nominis, in admirandæ virtutis, ac diuini eiuſdem animi & conſilij contemplatione defixi. *CÆSAR* ille eſt, in Romanæ vrbis Capitolio, hoc eſt, in terrarum arce, regum rex maximus omnium: *ALEXANDER* eſt, qui non re geſtâ minùs, quàm magno nomine vniuerſitatis ambitum peruagatus, non terrore ſæuiſſimi ducis vaſtantis omnia, ſed patris amantiſſimi charitate homines vti filios complectētis corda deuicit; hoc ambobus vtiquè ſuperior, quòd hiſce terminis minimè contentus, ſuum imperium trans Solem vſquè propagauit. Quibus autem gradibus ad tantæ faſtigium dignitatis & gloriæ euectus, ſiquis ex me quærit, is intelligat, ad excellentem

natu-

naturam primùm à claritate ſanguinis acceptam, deindè ad egregiam indolẽ ingenij & virtutis ſub meliore cœlo hauſtam, pòſt ad culturam vtriuſque aſſiduam atquè diligentem ab optimis præceptoribus traditam, tùm ad extremum ad actuoſam eius vitam in Reip. Chriſtianæ difficillimis negotijs atquè ampliſſimis muneribus obeundis domi foriſquè actam & probatam, referri totum. Ille, ille vobis proponatur vnicè, non vt ad eum accedere (cauete, nè putetis) poſſitis vnquàm, ſed cuius veſtigia retrò ſecuti, proniquè eminùs adorantes, vel ſic procedendo, reliquos vt mortales anteeatis. Ille confictam verè adimpleuit Cyri pædiam, ille Politiam ſomniatam à Platone, optatamquè potiùs hactenùs quàm ſperatam, Quiritum oculis re obiecit; ille prædictionem eiusdem philoſophi tantò antè conceptam de felicitate regnorum nunc deniquè gentium ac nationum bono, præſentiâ ſuâ confirmauit. Ipſum intuemini ſiuè Principem vnum ex omnibus maximè literatum, ſiuè, quod eſt perindè regium, literatorum hominum fautorem perbenignum, munificentiſſimumquè patronum. Deus nobis hæc otia fecit; de tàm auguſto pectore Virgilianis verbis libet exclamare: cùm Studioſorum rationibus & commodis proſpiciendo vigilanter, tùm, ſuprà quàm credi poteſt, laborem induſtriamquè Præceptorum liberaliſſimè, vt nupèr, compenſando. Quamobrèm

Hoc agite, ô Iuuenes: circumſpicit, & ſtimulat vos,
Materiamquè ſibi Ducis indulgentia quærit.

Cùr enim Satyrici dictum ſeriò loquentis in re ſimillimâ non vſurpem? vtquè ille pubem ſui temporis hortabatur ad variam eruditionem capeſſendam ſub Romano duce, beneuolo Muſis, ſiuè Nerua is fuerit, ſiuè Trajanus aut Domitianus, ſpe & expectatione debiti præmij, ſic ego vos bonis parentibus atquè ingenuis diſciplinis claros & nobiles, Italiæ florem, delectum non Europæ ſolùm, ſed ferè totius orbis, non moneam pariter, ad hæc vt ſtudia ſub Romano

patre,

patre, *MAXIMO ALEXANDRO*, omni doctrinæ genere ad miraculum inſtructo ipſo & ornato, atquè adeò iuſtiſſimo literarum ac laborum veſtrorum æſtimatore, toto pectore incumbatis? Incumbite per Deum immortalem, & pergite per fortunas veſtras, vt facitis, Adoleſcentes, nauiter & attentè: quandoquidem οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοείην, non de ſcorto bouis, vt cum Homero loquar, non de aſini, quod aiunt, vmbrâ, non de lanâ caprinâ, non de fumo agitur, ſed de re propriè veſtrâ, dignitate viri ac virtute, quæ in naturæ cultu diligenti cernitur, vndè humanitas illa, quam etiàm *ALEXANDRO* placere volumus, queat elucere: ità fiet nimirùm, quod referente Cottâ apud Tullium videré Craſſus in diſcipulo à ſe informato concupiuit, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & Reip. emolumento eſſe poſſitis.

DIXI.



OVID.

Digitized by Google

OVID. 2. de Ponto.

——— ingenuas *didiciſſe fideliter* artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

M. T. CICERO
pro Arch. Poët.

Quòd ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, & ex Literis *delectatio ſola peteretur, tamen hanc animaduerſionem humanisſimam ac liberaliſſimam iudicaremus.* Nam *cæteræ res nec temporum ſunt, nequè ætatum omnium, nequè locorum: hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas rès ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

*Quòd ſi ipſi hæc nequè attingere,
nequè ſenſu noſtro guſtare
poſſemus, tamen ea mirari deberemus,
etiam cùm in aliјs
videremus.*

* *
*

In

In Imaginem S. D. N.

ALEXANDRI VII.

PONT. OPT. MAX.

A PHILOLOGIS ACADEMICIS

publicè dedicatam.

ODE

IACOBI ALBANI GIBBESII.

DVXERAT parui Macedo ille vultum
Ferre Lyſippi, vel Apellis arte;
Corde Pelidæ cupidus probari:
Quod dat Homerus.
Cedit internæ vaga forma menti,
Labilis cedit color. Ecce noſtri
Laus ALEXANDRI per vtrumq; ſtabit
Clara laborem.
Dextra Phœbæis opifex alumnis
Conſecrat fictum: decora alta vates
Verſibus tollunt animi, Sibyllâ
Teſte, canendis.

DE

DE PLATEIS VRBIS

AB ALEXANDRO VII.

ad amuſſim æquatis.

EPIGRAMMA EIVSDEM.

IMBVERAT rectis qui moribus antè Quirites,
  Diſtortas PRINCEPS noluit eſſe vias.
Extrahit anfractus, reuocat proiecta domorum;
  Et vicum totum finis vterque videt.
Non Labyrinthæos patitur pia Roma receſſus,
  Has adamet fraudes cum Ioue Creta ſuo.
Peruia credibile eſt Saturno compita rege
  Aurea ſubiectis ſecla dediſſe locis.
Accedunt mentes conſtructis vrbibus aptæ:
  Dic, vbi ſis; dicam, curtus àn amplus agas.
Ingenium domini præfert habitatio; qualem
  Quiſque parat cultum, talis amator erit.
I nunc, marmoream iacta te linquere Romam
  Ex latere, ô Cæſar: victus es arte tuâ.
Vicit ALEXANDER; cuius moderamine *Stella*
  Aurea Roma parùm eſt dicere, *Recta* nitet.

FINIS.

Digitized by Google